

SALLVSTII
DE CONVRSATIONE CATILINAE LIBER

—unde Latine scripta historia est orta—

Historia quidnam apud veteres Romanos valuerit, uti decet explanat Quintilianus in suis libris quorum index *Institutio oratoria* est ad hunc fere modum (10, 1, 31—32): scribi historiam ad narrandum non ad probandum; historicos curae habere potius artem narrandi quam res ipsas; eandem idcirco componi quia scriptor rerum suam ingenii famam quaerat; quapropter ad taedium evitandum verba remotiora liberioresque figuras saepe esse usui; prorsus id haberi carmen solutum. quam rem ubi grammaticus ille indicavit, luculentissimos tales historicos commemorat duos, primum Sallustium, deinde Livium. apparet fere igitur historiae, talium litterarum, Sallustium fuisse conditorem, id quod testificatur et Martialis, ut fuerit “ primus Romana Crispus in historia ” (14, 191).

Historia autem eius modi sit oportet ut secerni a Caesaris commentariis possit. inter haec litterarum genera aliquid interesse satis acute docet Cicero (*Brutus* 75, 262). sed is, etsi historiam Latine scribi volebat, gravem hanc rem ipse tamen non impetravit, neque vero dubium est quin eius genus dicendi non idoneum fuerit historiae. tum cui tandem, nisi qui nescio quo pacto dissentiret a Cicerone nec in eum bono animo esset, bene rem evenisse dicas? qua re quidem Sallustio, qui scriptor in libro nostro Ciceronem consulem minimi facit, immo irridet illudit sollerter. quin etiam, id quod non est mirum, sermone utitur longe dissimili atque Ciceronis. namque ideo, ut contenderet arte scribendi cum eo, vel priscas vocum formas usurpavit, vel perpaucis vocibus nimis alta atque involuta dixit, vel insolentius modis verbalibus est usus; prorsus multum molitus est rationis contra morem Ciceronis ceterorumque eiusdem aetatis scriptorum. ita factum est ut eius scripta et singularia essent et ad le-

gendum difficilia.

Quo melius intellegamus Sallustianum dicendi genus, paululum in rem fore credimus animadvertere quid ipse sibi ut historico faciendum putasse nobis videatur. nam de singulis illius coniurationis narrat minus attente, nonnumquam aliter ac res sunt gestae describit, non quin digna dulciaque auditu exponat. unde haec laudanda neglegentia? eius, ut opinor, non tam magni interfuit quid et quando homines egissent, quam quid auctores rerum ex animo voluissent quoque ingenio fuissent, aut quomodo civitatis mores simul cum tempore mutatione affecti sese habuissent, postremo quorsum haec omnia spectarent. eo ipso, quod nihil esse aliud historici nisi haec tractare credebat, Sallustius, is qui suam rem “quam verissime” se absoluturum promisit, tantum afuit ut esset mendax ut plane “facta dictis exaequaret” adhibens multa et acerba verba et quasi censoria. itemque liber totus noster dignitate brevitateque dicendi unus omnium maxime exornatus.

Artem scriptoris huiuscemodi si quis perdiscere voluerit, conandum ante omnia futurum arbitramur eius opera vertere in patrium sermonem, necnon ingredi in disputationem sat esse vehementer negamus. itaque nos inter Iaponenses primi celeberrimum Sallustii opus, quamquam partim (Capp. 1—36), conversum in lucem nunc prodimus.

ARITVNEVS MIZVNO.

*Scribebam Kiotii ex Academia Otaniana
mense Septembri anno MCMLXX.*